

Joachim Schönermarck

Programma In Festo Pentecostes : P.P. 16. Maii Anni 1619.

Rostochi[i]: Pedanus, 1619

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73437299X>

Druck Freier  Zugang



F. Schonemann.
R. U. 2 Progr. 1619/c

Programma
IN FESTO
PENTECOSTES,

P. P. 16. Maij Anni 1619.

RECTORE
JOACHIMO
SCHONERMARCK
J. D. & Professore.



ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog.
ANNOM. DC. XIX.

1619.

Raed. Rostock.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
JOACHIMUS
SCHONERMARCK

J. D. & Professor.



Ann decem effluxerunt dies, cum Ecclesia DEI celebraret festum, quo CHRISTUS, cœlorum pius arbiter, conscendit jubilans, lætus ad æthera: ascensione hac sua tum cœlum, quod primus ADAM peccato suo occluserat, nobis aperiens; tum tyrannidem hostium frangens, ne noceant credentibus, tum instar regnantis & vigilantis Regis: se collocans in admirando diuinæ majestatis, omnipotentia, & omnipresentiæ throno, cui nomen est dextera DEI omnipotentis. In quo quidem throno CHRISTUS sedens non agit ocium, aut eo relicto vel interdum ad Athiopas, quod de suo fove Homerus sinxit, conuivatum exspaciatur, vel certis horis ad cœli fenestrâ, quâ alius Atheos quidâ

EXCO-

excogitavit, desiderans coniventibus oculis ad huma-
na respicit; sed altissimus super omnem terram
valde exaltatus super omnes Deos Psal. 96.
v. 9. supra omnem principatum & pote-
statem & potentiam & dominatum, su-
praq; omne nomen, quod nominatur non
solum in hoc seculo, verum etiam in futuro
Eph. 1. v. 21. dominatur, tam late longeq;, quam
thronus iste patet, in cælo & in terra, ut nihil sit
tam profundum, nihil tam altum, nihil tam pro-
tensum latumq;, ubi homo CHRISTUS non sit præ-
sens, ubi non operari & jurare possit & velit. In-
primis verò duo sunt opera. Filij DEI in dextera
Patris in cælestibus confidentis. Nam & tanquam
Sacerdos stans in arcano Consilio, pro nobis erga
patrem intercedit, ad eum nostras preces, quo grata
& acceptæ fiant, fideliter defert; &, tanquam
Rex in æternum per ministerium verbi sui ipse
præsens sibi in his terris colligit Ecclesiam ubiq;, eamq;
adversus omnes hostes visibiles & invisibiles poten-
ter defendit. In hac dextera DEI confidens Chri-
stus Dominus, id quod & Ioel futurum prædixerat,
& ipse Apostolis pollicitus fuerat: SPIRITUM
Sanctum effudit super Apostolos, cum expletum
fuisse tempus ad diem usq; quinquagesimæ; cuius rei
memoriam hodie in Ecclesijs nostris latè oranteq;

recolimus. Celebratam à Judæis quoq; scimus Pen-
tecosten; sed illius facies fuit penè horrenda: quan-
do inter tonitrua & fulgura & ignes caliginosas
ignibusq; micantes cum clangore tubæ gran-
disono DEUS Israelitis in monte Sinai horrifico ful-
minum fragore fumante; in eremo sentibus & spi-
nis horrente, legem dabat: quæ quidem lex nihil al-
liud agit, quam quod tonat, fulgurat, fulminat,
exterret, damnat, in Gehennam precipitat. At
hæc novi testamenti Pentecoste immane quantum
ab illa discrepat! Cum egrederetur DEUS in con-
spectu populi sui, cum pertransiret desertum, terra
mota est, & cæli stilla verunt à facie DEI Sinai, à
facie DEI Israel. At hodie pluviã largam effun-
dit DEUS, hereditatem suam laborantem ipse re-
creat. Hodie DEUS nostri misertus instituit novam
Pentecosten, in qua latissimum salutiferum & ju-
cundissimum Christi regnum inchoatum est ani-
mosa læticia, securaq; fiducia plenissimum, in quo
longè alia oratio, letos confidentesq; nos reddens E-
vangelium auditur, per quod effundit DEUS super
nos SPIRITUM Sanctum, tanquam pluviã: ut
quemadmodum hæc fruges calore Solis exhaustas
irrigat & recreat: sic Ecclesia jaculationibus le-
gis ignitis perterrefacta, calamitatibusq; tantum
non deperdita reficiatur & recreetur à Spiritu San-
cto per Ministerium Evangelij. Venit enim Spi-
ritus Sanctus hodierno die effusus super Apostolos,
non

non flamma inter nubes coruscante, cælo tonitruis
contremente, non cum terribili, sed cum jucunda
pompa; cum leni aura, placidoq; vento. Venti
autem natura est, ut frugiferam efficiat tellurem,
hominibusq; æstu solis laboribusq; defatigatis vires
quasi novas suppeditet. Vere adventu Spiritus
Sancti corda nostra sterilia sunt fructuosa, vereq;
refocillantur. Ille nobis cœlestem sapientiam largi-
tur & veritatem, contra cœcitatem & mendacium:
Ille excitat contritionem in nobis, contra securitatem
& confidentiam. Ille dat fidem, contra despera-
tionem & securitatem, quibus cor humanum sur-
sum deorsumq; jactatur, non secus atq; navis in
tempestuoso mari. Ille novam obedientiam in
nobis creat contra carnalem licentiam: ut simus non
stabula Satana, sed ipsius DEI templa. Ille Ignatio
Antiochia Episcopo vires sufficit, ut in martyrio
affirmet ovanq; fateatur, se esse frumentum DEI
dentibus bestiarum conterendum, ut fiat mundus
DEO panis. Ille Macedonium & Theodulum,
& Tatianum, cum gentiles deastros confregissent,
& craticulis subjecto igni ab Amachio impositi es-
sent, anima vit, ut dicerent ad Tyrannum: Si cu-
pis assas carnes degustare, verte nos etiam in alte-
rum latus, ne tibi ad gustandum semiasse videamur;
id quod Sanctus Laurentius ante illos Imperatori
Decio dixisse legitur. Ille ipse Spiritus Sanctus nos

quoq; in tribulationibus & angustijs, in acie novae-
cula constitutos, protegit, defendit, eripit. Formi-
dabilis res sunt tenebrae: quibus coniecti plerumq;
miserias eorum qui in perpetuis noctibus oppressi
sunt, deploramus, & nos ab aeternis tenebris à DEO
servari, suppliciter petimus. Hic Spiritus Sanctus
ignis est, depellens à mentium nostrarum oculis cae-
num tenebrarum, & nos illuminans, dato verbo
DEI, & venerandis Sacramentis. Hic deniq;
Spiritus Sanctus non solum nos rerum maximarum,
ad bene pieq; vivendum necessariorum, cognitione
donat, sed etiam excitat, ut *ἐρεθίζω*, actuosamq; sem-
per habeamus linguam & ad celebrandas amplissi-
mas res divinas & ad augendas utilitates aliorum,
& ad Rempub. ornandam. Quae Spiritus Sancti
beneficia quò plura sunt, eò magis cùm omnes homi-
nes, tum nos imprimis, quos in luce hominum tan-
quam in quadam Phidiae arce DEUS collocatos vo-
luit, qui pietatis & virtutis studiosorum nomine
gaudemus, decebit, ne Spiritum Sanctum injuria affi-
ciamus, vel, ut divus loquitur Apostolus, ne cōtriste-
mus Spiritum Sanctum, eumq; à nobis abigamus.
Invisi sunt ei peregrini, si à nobis recipiantur, hospi-
tes, remulencia, stuprum, avaritia, ira praecipua, in-
vidia, caetera vitia omnia: non fert, non patitur eos
hospites. At heu, quàm multi admittunt ejusmodi
hospites! Cum aperiunt os, idem est, ac si foedissimā
ape-

aperiant foricam: clamant, boant, catullunt, mugi-
unt, grunniunt, & tumultuantur. Quenam verò
virgo honesta ferret, se in lupanar introduci? an non
pernicissimo cursu fugeret? tu Spiritum Sanctum om-
ni exceptione puriorem Spiritum, tecum mansu-
rum existimas, homo impurissimus, nequissimus &
petulantissimus cum sis? O te longè miserrimum!
velles ne tecum uno in lecto cubare, teq; propter dor-
mire, amplexuq; tuo hedera arctius berere Satanā?
Cur igitur tantas turpitudines tecum habitare sinis,
quibus tanquam fumo, abactus Spiritus Sanctus à te
deflexit, malus Spiritus contra intravit? O ter mi-
seros vos, in perpetuum miserrimos, nisi resipueritis!
Demus autem omnes, Deo adjuti, operam, ut sigil-
lum habeamus Spiritum Sanctum, quo sumus obsig-
nati ad liberationis diem, ad extremi diei adven-
tum, qui Spiritus Sanctus nos doceat in Christum
credendo sine pavore clamare ABBA PATER: nosq;
novos homines efficiat. In Apocalypsi Angelus Dei
obsignavit frontes conservandorum: quali vero si-
gillo aut cruce? non in sensus incurrente, sed fide
in JESUM & renovatione mentis per Spiritum
Sanctum: quam fidem qui non habet, quiq; impro-
bam vitam agit, isde fronte revellit sigillum: atq;
hinc Dominus in die illo reddet pro eo ac facta ipsius
merentur, ex ijs nempe iudicium factururus, fidemne
habuerit nec ne? Cum enim dicent impu, sibi debere
regnum

regnum caeleste, respondebit Dominus: ubi est sigillum? ubi tessera? ubi boni, quos, si arbor bona eras, fecisti fructus? Quocirca omnes Academiae Civēs, in primisq; juvenes studiosos moneo, hortor & obtestor, ut unusquisq; operam det, inq; hoc incumbat, ut sigillum Spiritus habeat, non autem invidiam, non odium, non avaritiam, non petulantiam, non nocendi libidinem, non desidiam, non adulteria, non commestationes aut alias turpitudines afferat. Et ita hęc ferijs & toto vitę tempore vivat, ne arrhabonem hunc caelestem amittat, sed consolatorem hunc optimum in ipsa mortis hora & agone retineat: quod in die Irae & revelationis justi judicij DEI, qui reddet unicuiq; secundū opera sua, Rom. 2. v. 5. dulcissimam illam vocem audiat. Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudiū domini tui, Matth. c. 25. v. 21. Quod restat, tibi, o Sancte Spiritus, gratias tantas quantas mentis nostrę angustia capere potest, agimus, quod nobis propter Christum tua tā illustri apparitione novā Pentecosten, eamq; tanta hilaritate circumfluentē adornasti. Te rogamus animitus, ne à nobis discedas, sed ut tua omnipotenti pręsentia nos regas & ducas, ut quotidie in intellectu voluntatis divinę, humilima peccatorum agnitione, fide exultante, in spe, precibus & nova obedientia crescamus, adversus Diabolum & nostram carnem viriliter pugnemus, atq; ita tuum hospitium, tuum templum, tua habitatio usq; ad finem dierum nostrorum permaneamus: qui cum Patre & Filio vivis & regnas Verus Deus in omnem æternam æviternitatem. P. P. Rostochij sub sigillo Acad. 16. Maij. Anni 1619.

aperiant fornicam: clamant, boant,
 unt, grunniunt, & tumultuantur
 virgo honesta ferret, se in lupanar
 perniciosissimo cursu fugeret? tu Spiritu
 mni exceptione puriorem Spiritum
 rum existimas, homo impurissimus
 petulantissimus cum sis? O te longe
 velles ne tecum uno in lecto cubare
 mire, amplexuq; tuo hedera arctum
 Cur igitur tantas turpitudines tecum
 quibus tanquam fumo, abactus Spiritus
 deflexit, malus Spiritus contra inter
 ferros vos, in perpetuum miserimos
 Demus autem omnes, Deo adjuti
 lum habeamus Spiritum Sanctum
 nati ad liberationis diem, ad extr
 tum, qui Spiritus Sanctus nos doce
 credendo sine pavore clamare A B
 no vos homines efficiat. In Apocat
 ob signavit frontes conservandorum
 gillo aut cruce? non in sensus incur
 in J E S U M & renovatione mente
 Sanctum: quam fidem qui non ha
 bam vitam agit, is de fronte reve
 hinc Dominus in die illo reddet pro
 merentur, ex ijs nempe iudicium fa
 habuerit nec ne? Cum enim dicent

mug
 i verò
 in non
 tum o
 an su
 us &
 um!
 r dor
 tanas
 sinis,
 us à te
 er mi
 eritis!
 sigil
 ob sig
 ven
 um
 nosq;
 s DEI
 ero si
 fide
 tum
 impro
 atq;
 ipsius
 lemne
 lebere
 gnun

